



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

34. An suspensus ab Officio prædicandi irregularitatem incurrat, si concionetur saltem cum solemnitate? Idem dicendum est de excommunicato. Ex part. 5. tract. 10. res. 10.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XXXIV.

An suspensus ab officio prædicandi irregularitatem incurrat, si concionetur saltem cum solemnitate?
Idem dicendum est de excommunicato. Ex p. 5. tract. 10. Ref. 10.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Navarr. cap. 27. n. 163. §. 8. Valentia tom. 4. disp. 7. q. 18. punct. 1. Majolus lib. 3. de irreg. cap. 19. n. 21. §. 3. & alii. Mihi verò magis placet negativa sententia, quam ex Sylvestro, Armilla Henriquez & Medina docet novissimè doctus Tannerus tom. 4. disp. 6. q. 10. dub. 7. n. 137. quia prædicare non est per se, universum exercere usum Ordinis, ergo, &c. Et idem dicendum de excommunicato putat Bonacina de cens. disp. 2. q. 2. punct. 3. §. 2. n. 11.

RESOL. XXXV.

An excommunicatus recitando horas Canonicas, & dicendo Dominus vobiscum incurrat irregularitatem?
Et si non peccet mortaliter, an saltem peccet venialiter dicendo privatim Dominus vobiscum? Ex part. 4. tract. 2. Ref. 94.

Pro contro §. 1. **I**n aliquibus casibus affirmativè respondet Suarez de cens. disp. 12. sect. 2. n. 13. ubi sic ait: in hac Ref. in Ref. seq.

Quando excommunicatus horas canonicas recitat, debet omittere salutationem, Dominus vobiscum, & loco illius dicere; Domine exaudi orationem meam, adeò ut si sit Sacerdos, aut Diaconus, dicendo, Dominus vobiscum, irregularis fiat, ut advertit Navarrus lib. de orat. cap. 7. num. 16. quia juxta usum Ecclesiæ ille versiculus à solis Sacerdotibus, vel Diaconis dici potest, & præfertur personam publicam. Ita ille, & absolute hanc sententiam tenet Majolus de irreg. lib. 3. cap. 25. n. 6.

2. Sed ego puto excommunicatum dicendo, Dominus vobiscum, non peccare mortaliter, & ita docet Avila de cens. part. 2. disp. 5. diff. 2. n. 3. Præpositus in 3. p. D. Thoma q. 2. de excomm. dub. 9. n. 56. & per consequens non incurrit irregularitatem, & ideo ex eadem Societate doctus Hurtado tract. de excomm. diff. cult. 2. disp. 5. n. 3. sic ait: Excommunicatus privatim recitando Horas Canonicas potest absque peccato dicere, Dominus vobiscum, quia potest illud dicere ut privata persona; sicut etiam potest dicere, Venite adoremus. Et quamvis peccaret dicendo, Dominus vobiscum, non peccaret nisi venialiter, quia est materia levissima, ac proinde nec ob id incurreret irregularitatem, quæ quando ob peccatum incurritur, non nisi ob mortale incurritur. Ita ille; & ante illum Villalob. in summa tom. 1. tract. 17. diff. 7. n. 3. ubi nominatim improbat Majolum, & docet excommunicatum si privatim recitet Horas canonicas, & dicat, Dominus vobiscum, non incurrit irregularitatem: vide etiam Filiuc. tom. 1. tract. 12. cap. 4. num. 93. & Coninch de Sacram. disp. 14. dub. 7. num. 54.

RESOL. XXXVI.

An excommunicatus recitando Horas Canonicas privatim, & dicendo Dominus vobiscum incurrat irregularitatem, vel peccet mortaliter? Ex p. 5. tr. 9. Ref. 93.

Pro contro §. 1. **R**espondeo quòd excommunicatus quando recitat divinum Officium, non debet dicere Dominus vobiscum, quia non est verbum privatæ

personæ, sed loco illius dicere debet, Domine exaudi orationem meam, adeò ut Navarrus & Major existimant irregularitatem incurrit Sacerdotem, aut Diaconum excommunicatum, si proferant Dominus vobiscum, quod tamen negatur ab Henriquez 3. lib. de excommunicatione, cap. 7. §. 2.

2. Vide etiam Cornejo in 3. part. tract. 5. de excomm. §. 4. ex errore 8. dub. 1. & Mercerus de Sacram. in 3. p. q. 21. dub. 6. ubi docet excommunicatum dicendo in recitatione horarum Canonicarum, Dominus vobiscum, seculo contemptu, peccare tantum venialiter, & non incurrit irregularitatem. Idem etiam docet Layman lib. 2. tract. 5. p. 2. cap. 2. n. 6. Imò Avila p. 2. cap. 6. disp. 4. dub. 6. concl. 3. & Hurtado disp. 5. de excomm. diff. 2. n. 3. nullum peccatum esse putant, si excommunicatus privatim recitans dicat, Dominus vobiscum, sed hoc est contra communem, ut observat Coninch de Sacram. disp. 14. dub. 7. n. 54. vide etiam Raynaudum de monit. p. 2. cap. 2. n. 25. Gordonum tom. 2. lib. 7. quest. 8. cap. 2. n. 23. & Præpositum in 3. p. q. 2. de excomm. dub. 9. n. 56. Filliucium tom. 1. tract. 12. cap. 4. num. 93. Henriquez lib. 13. cap. 7. n. 2.

RESOL. XXXVII.

An Clericus sodomita occultus sit suspensus & si elibet, incurrat irregularitatem? Ex p. 2. tract. 17. & Misc. 3. Ref. 69.

§. 1. **H**unc Clericum esse suspensum ipso jure ab executione ordinis, licet sit occultus, unde si postea ministret, etiam post peractam poenitentiam effici irregularem, in qua irregularitate solus Papa dispensare potest, putavit Covarr. in Clem. si forisius p. 1. §. 1. n. 6. Foller. in practi crim. canon. p. 6. cap. 37. n. 11. Iul. Clatus in §. sodomian. 5. Franc. Marc. p. 2. de 687. num. 16. Lambettin. de jurepatron. 1. lib. 2. q. 2. art. 18. n. 4. Salzedo in add. ad practi crim. Bernardi Diaz c. 88. cum multis aliis citatis à P. Henric. lib. 3. cap. 36. n. 1. in Glossa lit. M. & à Petro Cenedo in collect. ad jur. Canon. part. 2. collect. 130. n. 1. & hoc asserunt accideri non ob canones, & jura, quia nulla sunt, quæ inducant talem irregularitatem, sed propter enormitatem, & gravitatem criminis.

2. Sed hæc sententia merito ab omnibus rejicitur. Sed et ratio est clara, quia nullum crimen, quamvis enormius, inducit irregularitatem, si non sit notorium, præter homicidium: hoc enim licet occultissimum, sed irregularitatem inducit. Et hoc patet ex c. ex tenores, sed de tempor. ordinat. ubi dicitur, ex nullo crimine quantumcumque gravi, etiam degradatione digno, inducitur suspensio, vel irregularitas in susceptis; vel suscipiendis ordinibus. Hoc etiam probatur ex cap. fin. eod. tit. ubi dicitur, quòd propter gravissima crimina, ut adulterium, perjurium, &c. excepto homicidio, non debet quis post poenitentiam ab usu, vel susceptione ordinum impediri, nisi in judicio comprobata, vel alias notoria fuerint. Et ita hanc sententiam docet Henriquez ubi supra, & lib. 14. cap. 5. n. 1. lit. F. Avila de cens. p. 7. disp. 4. dub. 7. concl. 7. Floron. tract. de cas. reserv. p. 2. cap. 7. §. 1. n. 7. Saytus de cens. lib. 1. cap. 1. n. 2. Finell. de cas. reserv. cas. 9. num. 6. cum multis aliis, quos citat & sequitur Barb. in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 31. c. 4. n. 5. Gasias tract. de benef. tom. 2. p. 11. n. 15. Vide etiam Ortiz in summa. c. 17. n. 114.

3. Ad argumentum Covarr. & aliorum respondetur, quòd nulla irregularitas potest induci; nisi expressa in jure invenitur, cap. is qui, de sent. excomm. in 6 sed nullum crimen, ut supra probavimus, quantumvis enorme inducit irregularitatem, nisi sit notorium. Ergo, &c.

RESOL.